

16
1.
2. ✓
3 228
4.
5 8
6.
7. 8
8.
9.
10.
11
12.
13.



1666.

1. Carpzovius, Benedictus: Rector acad. Lips. et orator
Ben. Carpzovi imitatus
2. Bornius, Tacitus: De remedio appetitionis
3. Carpzov, Augustus Benedictus: De revocandis his, quae
in fraudem creditorum alienantur 2 part. 1666: 1672.
4. Eckold, Amatus: De divisione paterna
5. Eckold, Amatus: De jure accrescendi
6. Eckold, Amatus: De jure fortaliti
7. Eckold, Amatus: De directorio articulis probatoriis
amisso
8. Fingerus, Michael: De aequitate
9. Grotius, Frider.: De jure collegiorum
10. Heingius, Georgius: De actione funeraria
11. Heringius, Johannes Christianus: De mundo
12. Rechenbus, Adam: De aurea Rosa, quam Rom.
pontifex consecrat
13. Romanus, Paulus Franciscus: De mandato

1666.

14. Saendendaerffer, Bartholomaeus, Leonhardus : De inter
dictis ad ipsiusmodi possessionis

15. Schwencken doerffer, Barthol. Leonh. : Decretos pontificum
controversarum IV

16. Schwencken doerffer, Barthol. Leonh. : De crimine
republicae.

17. Habrius, Johannes : De ortu typographiae

18. Kraus, Gertmann : De servitute altius tollendi

19. Thomarius, Jacobus : De negotiis in republica
intestinalibus ac moribus causis

20. Thomarius, Jacobus : De jure belli majestatico

1667.

1. Gronius, Jacobus : De juramento judiciali 2 Sumpt.
1667:1704

2. Cyprianus, Johannes : De contradictione emisorum

1666

2^e Eckels, Amstedem: De natura thesaurorum et jure
principis circa eosdem.

3. Eckels, Amstedem: De prosopolepsia

4. Reichenberg, Wanus: De principis secretario

5. Romannus, Paulus Franciscus: De juris dictione

6. Romannus, Paulus Franciscus: De parte anellae ^{furtivae}
2 Saupl

7. Romannus, Paulus Franciscus: De usufructu

8. Romannus, Paul Franciscus: De indicio

9. Salzmann, Bell. Frid.: De descriptionis antiquae vasie.

late

10^e Schrencken doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De infamia
2 Saupl. 1667: 1716.

11. Schrencken doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De persu
narrum alfabete juridico

12. Schrencken doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De feris

Forum



1669

13. Schreuderbaerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De
praeventione crediti
14. Schreuderbaerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De
habitatione.
15. Thomaeus, Iacobus: De transformatione homi-
num in bruta
16. Thomaeus, Iacobus: De atrocibus gentibus in
gentibus
17. Thomaeus, Iacobus: Legatus inviolabilis
18. Welsetius, Godtfredus: De gemellis et partu mulie-
ris.

13

Q. D. B. V. *Abel, 8*

515

8

DISPUTATIO JURIDICA

DE

DIRECTORIO ARTICULIS
PROBATORIIS ANNEXO,

Quam

MAGNIFICO ICTORUM ORDINE

In Hac Florentissima Philyrea

Benevolè concedente,

PRAESIDE

NOBILISS. AMPLISS. ET EXCELLENTISS.

VIRO

DN. AMADEO ERHARTEN

Ph. & J. U. D. ac Prof. Publ. celeberrimo, ut & Laudatissimæ Facul-
tatis Juridicæ Assessore gravissimo, Dn. Fautore & Præ-
ceptore suo reverenter colendo.

*Publicæ placidæq; Eruditorum censura ac ventilationi
exponit*

SIMON CHRISTOPH. URSINUS,

Marchicus.

Die 6. Decembr. A. O. R. M DC LXVI.

Horis Locoq; Consuetis.

+++++

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGII.

P. 506

7

21.





U

gre
mu
tes
fen
de L
Leg
ade
cuj
I. G
sed

reo
vita
nun
Jud
den
qvo
mi
bul
teg
à N
app
qva
ba





I. N. D. N. J. C.
ASSERTIO.

I.

UT in aliorum; ita in nostri etiam thematis expositione ab indagazione & natalium, & hujus loci propriae significationis vocabuli ad pleniorum ipsius rei tractationem progrediendum nobis erit: tum ut receptae Methodo morem geramus: tum ut utilitatis ex vocum evolutione redundantis compotes fiamus. Quamvis verò non desint, qui omnem, modò de sensu constet, verborum Curam abjiciant, nixi autoritate *l. cum de Lanionis 18. §. Asinam Molendariam & seqq. D. de Instr. & Instrum. Leg. tamen Jctorum Parentes hoc ipsum tractationis genus non adeò leve, vel indignum ipsorum personis superciliosè judicârunt: cujus rei documento est præter integrum *tit. ff. de V. S. L. 1. pr. D. de I. & I. L. 1. §. 1. D. de pact. L. 1. L. 2. §. 2. D. de R. C. L. 2. §. 1. vers. sed ut subtilitati C. de Const. pec.**

II. Descendit autem Directorium [prout neminem esse reor, qui ignoret, nisi planè hospes sit & peregrinus in Latinâ Civitate] à τὸ dirigere, eò, quòd factorum probationem [jus enim nunquam indiget probatione] quæ ab alterutro litigantium jussu Judicis in judicio, certis exhibitis super facto articulis testiumq; denominatione corroboratis fieri debet, dirigat & doceat, super quot & quibus articulis unusquisq; testium interrogandus & examinandus sit, *Ummius Diss. 16. th. 11. n. 74.* Quod quidem vocabulum quamvis non videatur esse ad palatum eorum, qui castè integreq; in Romanâ Lingvâ versati sunt: tamen deficiente meliori, à Nostris introductum & à subsequenti concordanti calculo approbatum est: ut adeò religio nobis foret, in ejus locum aliud, quamlibet probius, nostris tamen inusitatum, surrogari; cum verba sicut Nummi usu æstimentur.

Etymologia.

III. Dicitur autem Directorium habere & exercere omnis, *Homonymia.*

A 2

qui-

7



quicumq; alicujus negotii prora atq; puppis est, idq; pro arbitrio tam in publicam, quam propriam ipsius utilitatem, lege ita constituyente, moderari valet. Quæ moderandi facultas, si eam ad nostræ Reipublicæ faciem examinemus, vel in iudicio exercetur, vel extra iudicium. Extra iudicii limen, ut ordine retrogrado incedamus, præcipuè sese in comitiis sive Reipublicæ conventibus nobis conspiciendam præbet, [quippe cum ejusmodi conventus ne cogitatione quidem fingi queant, qui unius, vel plurium Procerum prudentissimorum destituantur ductu & auspiciis] ac tot formas induit, quot comitorum dantur species. Enimverò comitia in Imperio nostro Romano-Germanico alia celebrantur ab universis ejus Membris, alia à quibusdam in certo aliquo ejus territorio: illa videlicet ab Imperatore atq; Ordd. Imperii, quotiescunq; ejus vel necessitas, vel utilitas efflagitet, ad commune omnium bonum provehendum instituantur. Quæ & similia aliis in Rebusp. comitia [quod obiter notatum volo] tantum abesse mihi videntur, ut ad Regiæ potestatis jura ac *δικαιώματα*, prout à plurimis fit, referri queant; ut eidem potius è diametro adversentur; ceu liberæ Reipubl. aut saltem Regni circumscripti ac limitati *ἀναμφισβήτητα τέκμηρια*; nisi fortean à Principe ultro, nullâ lege exigente, & mente Xerxis indicantur.

IV. In illis autem Directorium penes Imperatorem residet. Imperator enim non tantum præcedente Electorum consensu, qui nisi, quæcunq; gerantur, irrita esse velit, ab eo insuper haberi nec potest nec debet [id quod tempore Interregni non minus in Vicariis Imperii verum est *Herm. Hermes in Fasc. J. publ. c. 36. n. 14.*] singulos ad ea status convocat: verum etiam super quibus deliberatio suscipienda, proponit; ac ratione sententiarum Procerum habitâ ceu Præses comitorum decernit: puta primùm assistendo majori Votorum parti, si res ad decisionem secundum plura factam admittendum apta nata sit. *Conf. Limm. L. 9. d. J. publ. c. 1. n. 175. & seqq.* deinde si paria existant vota, dissentientes ad calculum suum apponendum flectendo; tum si de reliquorum consensu diffidat, ad alia nova comitia remittendo; quod si verò dilationem Causæ agrè patientur, ita deniq; concludendo, quò justitia & æquitas subsistat, nec ullum salus publica detrimentum capiat,

517
capiat, modò Proceres non ex prægnantibus Causis Imperatoris
decisionem & arbitrium detrectent. *Herm. Hermes d. l. n. 82.*
Quandoquidem verò in illis comitiis universalibus Status consul-
tantes in tres more majorum distributi sunt Classis; singuli singu-
lis Classibus præfunt Directores, qui proponendi, ceteros rogandi,
& tandem concludendi facultate sunt instructi. Ita in primâ Clas-
se, quæ Electorum est, Directorium exercetur à Moguntino: in
Principum Classe Directrix hæc Potestas alternatim hodiè resi-
det penes Archiepiscopum Salisburgensem & Sereniss. Austriæ
ArchiDuces. In tertiâ autem Directorium propriè competit
Civitati, in quâ habentur comitia, quæ explicandi muneris sui
causâ adhibere solet Senatorum suorum ut & Advocatorum vel
Syndicorum ex ordine aliquos, quibus Secretarium adjungit *Limn.*
d. l. 9. c. 1. n. 132. & seqq. Instar horum comitiorum sunt conven-
tus Deputatorum die Deputations-Tage / qui indicuntur nomine
Imperatoris à Moguntino iis statibus, qui ibi comparandi jus ho-
diè jure hæreditario habent. *Conf. R. J. de A. 1559. s. Auf daß denn
disfalls / & R. J. de A. 1570. s. Und damit solche wichtige Dinge / quo-
rum numerus, ut ex utriusq; Religionis Proceribus secundum Pac.
Osnabr. Art. 5. §. 18. æqvaretur, postea excrevit in Comitiiis Ratis-
ponensibus novem aliis adjectis Recess. Norviss. de A. 1654. s. Und
diweil nach besage des Friedenschlusses / Vid. præfatus Limn. Tom. 5. J.
Publ. lib. 9. c. 1. p. 368. & seqq.*

V. Quæ verò non omnium statuum Imperii sed quorun-
dam tantum sunt Comitii, ea vel à certo Collegio, vel à certo a-
liquo Circulo instituuntur. Ejus generis ab Eminentissimo E-
lectorum Collegio duo cum primis celebrantur solemniores Con-
ventus, Electionis alter, alter Consultationis: ille vocatur der
Wahl-Tag / hic der Churfürsten-Tag. Utriusq; Præses & Director
est Elector Moguntinus Collegii sui Decanus. Quo de Ejus Di-
rectorio ne, relicta viâ propositi thematis regiâ, in diverticulis
hisce substiturus videar, B. L. ad sacrum Imperii nostri Palladium,
Auream Bullam c. 1. 2. & seqq. & qui eam præclarissimis ingenio-
rum suorum monumentis illustrarunt, Dominicum Aramæum,
Martinum Rumelinum, ac utroq; Majorem, & ringente quantum-
vis invidiâ, planè incomparabilem Limnæum nostrum brevitati

velificaturo remittere in præfenti sedet: modò, anteqvam ad alia
abeam, huc exinde transtulerim: conuocationem Electorum ad
huiusmodi comitia, haud secus ac reliqua Jura Electorum pro-
pria, sede vacante, Capitulum sibi jure vindicare non posse *arg. Ca-
pit. 1. A. B. S. cum autem 19. præmemoratus Limneus lib. 3. j. p. c. 3. n. 53.
& seqq. & ad dictum C. 1. A. B. S. 18. Obs. 3. ejusq. Epitomator Herm.
Hermes. d. l. c. 6. n. 18.* Econtrario munia sua ritè obire & expedire,
quamprimùm quis à Capitulo Electus, licet nondum vel ab Impe-
ratore investitus, vel à Pontifice pallium susceperit confirmatusq;
fuerit. *Limneus d. l. 3. c. 3. n. 40. & seqq. & c. 7. n. 12. & seqq. Daniel
Otto de I. p. c. 10. p. m. 174.*

VI. Alteram speciem Comitiorum particularium consti-
tuunt conventus Circulares, vulgo vocati die Creiß-Tage. Quo-
niam verò Circuli in Inclito Imperio nostro bifariam dividuntur:
primò enim octo Circuli nobis exhibentur secundùm recentio-
rem distributionem in *Recessu Imperij de Anno 1570. S. Nach dem aber
bey diesen Punkten. & S. Da denn von diesen beyden* ut ex illis Judi-
cium Camerale Assessoribus suppleatur: deinceps decantatissima
sed minùs perfecta in 10. Circulos divisio succedit à Maximiliano
Imperatore. A. 1512, introducta R. J. de Ao. 1512, S. *Darauff haben
wir sampt denen Ständen. & S. item sollen die Churfürsten: ratio-
ne hujus non illius distributionis conventus suscipiuntur ac fre-
quentatur: quibus præfunt sui Directores iiq; numero vel unus vel
duo, prout appellantur in Instr. Pac. tit. 16. S. 1. in vernacula dicti die
auschreibende Fürsten / propterea diewel sie das Ausschreiben der
Cräyße haben. Imper. Ferdinand. Münkordnung zu Augspurg auff
gericht de Anno 1559. S. Wir wollen auch: qui in convocandis, incio
etiam Imperatore, omnibus Circulorum suorum Membris, in
proponendo ea, super quibus deliberandum, in vota Membrorum
colligendo, ac tandem decisionem subjungendo occupantur.*

VII. Tantùm de Directorio extra judicium adhibito. Aliud
in judiciis occurrit Directorium, quod vel judici, vel privato, par-
ti nempe litiganti competit, Illud quidem etsi sese per totum ju-
diciam diffundit: maximè tamen exerit in concipiendâ sententiâ,
præcipuè quando Vota Assessorum [omnium enim vota adhiben-
da esse constat ex l. 39. ff. de Re Jud. l. 4. C. quando provoc. non est
nec]

nec] paria existunt; tunc enim vi sui Directorii alterutrius sententiae accedere potest eamque confirmare. *Conf. Magnif. & Celeberr. Dn. Brunnemannus, J. C. & Antecessor in Alma Patria Praeclarissime Promeritus, in Proc. Civ. c. 27. n. 12. & seqq.* Sed misso illo utpote nostrae tractationis improprio, de posteriori, quo pars litigans in probatione instituenda conficiendaque utitur, ab Italis, notante *Rutger. Rulando de Commiss. p. 3. lib. 1. c. 6. n. 1. Tabula* nuncupato, pro ingenii modulo acturus, inde usque illud a definitione, a qua omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, proficisci debet, tanquam a capite arcesso.

VIII. Est autem Directorium nostrum nihil aliud, quam Modi probandi ejusque qualitatis determinatio; vel, ut per speciem quandam Ejus natura magis innotescat, est Articulorum testiumque super iis examinandorum determinatio a parte litigante iudici facta, ut ipsi inde liqueat, super quot & quibus Articulis unum quemque testium examinare debeat. In qua definitione si quid fortean humanitus nobis obtigerit, licet securi eo nomine videamur sub umbone *l. 202. D. de R. J.* malum tamen qualemcunque ejus rationem suppeditare, quam hoc textu male intellecto ceu infirmo tubicine insistere: imprimis cum non sim nescius, & definitiones in Jure aequè ac in aliis disciplinis ad Logicarum Praeceptiuncularum amissim accurate componi posse; & plurimas hodie a Nostratibus Jurisprudenciae Antistitibus non sine maxima eorum laude & inestimabili discentium commodo rite elaboratas extare. Genus actum & formam Directorii constitui-
 mus: formam autem rei in definitione saepenumero evadere genus, ex inductione constat, facileque, modo opus esset, demonstrari posset. Alii, uti *Vultejus & Rosbach. Proc. Civ. Tit. 54. n. 15.* per schedam Directorium definierunt. Verum incommodè scheda generis locum obtinet. Quod enim in schedulam conjiciatur Articulorum testiumque designatio, per accidens tantummodo fit, cum procul dubio etiam oretenus proponi & exhiberi posset. Hac ratione Appellatio etiam definienda esset per schedulam vel scripturam, cum omnis Appellatio regulariter in scriptis interponi debeat. *l. litigatoribus 14. C. de Appellat. ibique Dn. Brunnem. Wesenb. in π. ff. eod. tit. n. 9. & ad eum Dn. Hahn. verb. vel scripto vel viva voce*

Definitio
realis.

7



ce, quod indiscriminatim verum in Appellatione ab Interlocuto-
ria c. 59. & c. cum causam 62. extr. de Appell. c. 1. & 9. lib. 6. eod. Brun-
nem. d. l. & in process. Civ. c. 28. n. 4. & 42. Perez. in Cod. eod. n. 20. &
seqq. Imo Contractus Chirographarius esset per schedam definien-
dus; nam praterquam quod in scriptura celebretur, etiam in scri-
ptura forma ejus latet & contentem statim, nullo habito tempo-
ris discrimine, obligandi facultas pr. J. de Lit. Oblig. & §. 2. J. de
Except. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de Reb. cred. n. 9.

Sedes hujus
materiae.

IX. Quandoquidem autem materiam processus vel judi-
ciorum Directorium attingit: omne vero iudicium absolvitur prin-
cipio medio & fine Auth. Ad hac C. de iudic Alexand. Conf. 182. n. 6.
vol. 6. quorum illud est litis contestatio l. un. & Auth. Offeratur
subseq. C. de litis Contest. istius vices gerit probatio, puta in qua o-
mnem causae vim subsistere tradit Abb. in c. cum causam n. 22. in f.
extr. de testib. hujus loco autem ponitur sententia l. 1. ff. de Re Judic.
ad mediam illam partem, probationes videlicet illud referri debe-
re sua sponte elucescit: Cum enim a iudice alterutri parti imposi-
ta fuerit probatio Arg. l. Quingenta 12. ff. de prob. c. licet 9. extr. eod.
pars onere probandi gravata Articulos exhibere, tenetur; illisque
nominationem testium vel documentorum aut loci hominumque, &
si ocularis inspectionis beneficio expedienda probatio est, de-
signationem subjungit, & tandem Directorium annectit, i.e. iudici
praescribit, super quoto articulo ex. gr. aliquem ex testibus exa-
minare debeat.

Causa Effi-
ciens Remo-
ta.

X. Hujus vero Directorii, si jus civile commune introspi-
ciamus, nulla reperiuntur vestigia: quippe Articuli omnes, cujus-
cunque sint generis, Antiquitati fuerunt incogniti per ea, quae habet
Rutg. Ruland. de Commiss. p. 3. l. 1. c. 2. n. 2. & seqq. Georg. Obrecht.
tract. de Concip. & form. lib. c. 17. n. 4. adeo ut a plurimis prope Dd.
eorum natales a consuetudine petantur: jam vero Articulorum
Accessorium est Directorium, hoc enim illos subsequitur, imò sine
illis subsistere nequit; Ergo nec aliunde erit quam a consuetudi-
ne Directorii origo deducenda.

Causa προ-
καρπτική

XI. Estque praecipue litigantis causam introductum in favorem
probationum, qui alias insignis est Arg. l. 2. & 3. D. interrog. Act. ut
illa adjuvantur potius, quam restringerentur, secundum l. quo-
niam

7

nam 21. C. de Heret. & Manich. nec probanti magis nocuimento, quam emolumento existerent. Fieri enim facile posset, ut testis rei, de quâ deponere tenetur, probâ & exquisitissimâ cognitione destitueretur; vel adversario magis quam ipsi probanti faveret; vel alio quocumque modo detrimentum ei, sive studio, sive citra culpam suam, afferret: id quod si persentiscat pars, testem nimirum in interrogatoriis magis contra quam pro se depositurum: tum illum ratione illius articuli, de quo eum suspectum habet, rejicere, inque ejus locum alium, à quo minus sibi metuendum est, surrogari valet; ut ita omnia retia, quæ sibi ad adversâ parte in interrogatoriis ponuntur, evitare possit. Et hanc rationem commodiorem esse eâ, quam *Ruland. d. p. 3. lib. 1. c. 6. n. 2.* affert, videlicet quod non tantum integris probationibus; sed & parti earum unicuique renuntiare sit permissum, indubium puto: cum tantum absit, ut conficiendo Directorio aliquis probationum juri renunciare: ut potius illud ampliare & extendere, laxâ quâdam ipsi concessâ potestate, videatur: utpote cum hâc ratione sibi cavere integrum sit ab omni eo, quod vel præjudicium ipsi, vel periculum creare posset. Quamvis etiam non diffitear iudicis interesse secundario & indirecto Directorii confectionem: quippe cum ita iudex molestissimo & tedioso amputandi articulorum utilia & superflua labore superfedere queat.

XII. Proinde Directorium conficitur ab alterutro litigantium, cui probationis impositum onus est. Nec refert utrum Actor sit an Reus. Nam licet Actor, utpote in intentione suâ & aliquo facto se fundanti, probatio regulariter incumbat *l. 2. l. 21. & seq. D. de probat. l. 23. C. eod.* cui etiam in dubio atque in concursu partium circa probationem facti primò imponitur *Ruland. de Commiss. part. 1. lib. 2. c. 1. n. 17. Mascard. Vol. 1. de probat. q. 17. n. 10. & seq. & conclus. 37. per tot.* non autem reo, cum reus litem contestando Actoris intentioni contradicat; contradicentis autem & negantis per rerum naturam nulla sit probatio. *d. l. 23. C. de probat. & l. 10. C. de non num. pec.* tamen nonnunquam & probandi onus in reum devolvitur, si videlicet jus ab eo fuerit negatum *l. 5. D. de probat. vel determinativè factum negatum l. optimâ. 14. C. de cont. stipul. B. Dn. Carp. lib. 1. Resp. 68. n. 13. & 14.* vel quocumque modo in negatione Intentio

Causa efficiens Proxima.

B

funde-



fundetur l. 5. §. 2. D. ne quis eum qui in jus voc. cum negatio non tam figurâ verborum, quàm vi & potestate æstimandâ Dn. Struv. Exercit. 28. Thes. 6. Zoef. Comm. D. tit. de probat. n. 11. id quod tamen ut in aliis bene multis, ita in Exceptione non impleti contractus palmariam exceptionem patitur, quippe quæ non ab eo, qui eâ utitur, sed ab adversario, cui opponitur, probanda est. Dn. Carp. lib. 2. R. 88. Et quoniam reus excipiendõ Actoris personam induit l. 1. D. de Except. l. 19. D. de probat. non est mirum, quod etiam probare teneatur id, quod excepit, modò Actor prius intentionem suam probaverit Mascard. d. Conclus. 37. n. 2. imprimis si exceptionem eventualiter opposuerit l. si quidem 9. de Except. ibiq; Dn. Brunnem. Quæ tamen non tantum in Exceptione purè negativâ, qualis est Exceptio non numeratæ pecuniæ l. 3. C. eo Tit. sed etiam in impetrante Rescriptû Principis locum vix obtinet; quippe, quod impetrans probare haud tenetur, sed potius is, qui sub & obreptionis arguit Ruland. d. p. 2. lib. 1. c. 1. n. 14. Accedit deniq; quod non infrequens sit, ut ratione diversitatis ejusdem rei probatio promiscuè Actori vel Reo injungatur per tradd. Carpz. lib. 5. R. 71. n. 15. & lib. 1. R. 80.

XIII. Sed non tantum principales litigantes gaudent jure Directorii ab ipsis exhibiti: sed ejus usus quoq; in accessorios five intervenientes redundat, quos nimirum causa ab aliis in judicium deducta attingit. Quod potissimum in iis obtinet, qui accessorie interveniunt, ad adhaerendum five assistendum alterutri litigantium; hi enim, quia causam in eo statu, in quo inveniunt, suscipiunt; eodem quoq; cum principali jure censentur secundum Capit. ult. Ut. lit. pend. in 6. Idcirco actus etiam probationum, perinde ut litis-contestatio, ipsis communis est. Hinc si tempore & re adhuc integrâ ante examen testium interveniunt, in ipsorum arbitrio est, num directorio principalis uti, an illud corrigere, testiumq; numerum vel augere vel minuere velint, per ea quæ habet Ruland. part. 1. de commiss. lib. 5. c. 9. n. 3. sin verò post publicatas Attestationes & cum ipse principalis ulterius probandi facultate destituatur, accedant, omnis eis aliarum probationum copia indiscriminatim denegatur. Circa eos autem, qui principaliter ad jus suum, nullâ aliorum habitâ ratione, persequendum interveniunt, distingvi novimus; utrum sciverint publicationem testium nec ne: nam si ignove-

ignoraverint, novos aliosq; testes producere valeat: sin verò sci-
 verint, examen novorum testium super iisdem Articulis ob frau-
 dis præsumtionem impetrare nequeunt *Ruland. d. l. Dn. Brunem. in*
proc. Civ. cap. 13. n. 15. & seq. Rosbach. in process. tit. 47. n. 16. & seq.
P. Frid. Mind. de Continent Caus. lib. 3. c. 9.

XIV. Ex hisce itaq; nunc duo ceu conclusiones quædam
 deducuntur. Primò exhibentem Articulos ad Directorium ali-
 quod iis subjungendum cogi minimè posse. Etenim ut quis à ju-
 dice ad aliquid cogatur, aut publicum interesse, aut privatum par-
 tis istud suadeat necesse est. Ita quoniam sine liti contestatio-
 ne tanquam lapide quodam angulari nullum iudicium subsistit,
l. prolatam 4. C. de sent. & interloc. om. C. un. extr. de litiscont. Ob-
recht tract. de litiscont. c. 10. n. 8. Hilliger ad Don. lib. 23. c. 1. lit. A.
 iudex ex officio parti tergiversanti eam imponere potest. *Dn. Brun-*
nem. de proc. Civ. c. 14. n. 2. cui si morem gerere detrectet, lis de-
 mum pro contestatâ declaratur *B. Carp. lib. 3. R. 33. n. 1. & seqq.* Eo-
 dem modo usurandum calumniæ publicæ utilitatis causa intro-
 ductum non tantum non partium conventionem, sive expressâ, sive
 tacitâ remitti potest *l. 2. §. 4. C. de injur. propter. Cal. sed & omif-*
sium totum iudicium reddit nullum Perez in Cod. d. tit. n. 10. & pro-
 pterea id, parte licet non petente, à iudice sponte exigitur *Hilliger*
ad Don. lib. 24. c. 3. lit. B. In Directorii confectione autem nullum
 vel partis vel iudicis interesse versatur: parum enim refert utri-
 usq; , quomodocunq; probet adversarius: nam iudex secundum
 ea, quæ acta probataq; fuere, sententiam fert *l. 6. §. Veritas D. de*
off. Pras. l. doce Ancillam C. de R. V. l. 14. & Auth. seq. C. de jud. pars
 verò, si adversarius nihil probat, aut probatio eum non relevat, etsi
 nihil ipse præstat, absolutionem meretur *l. 4. C. de edend. l. 2. C.*
de probat. Mascard. Vol. 1. Concl. 36. per tot. Præterea durum esset &
 planè in jure inauditum, aliquem ad id cogere, quod in ejus favo-
 rem est introductum *l. 6. C. de leg. cui potius renunciare cuivis li-*
cet l. pen. C. de pact. At Directorium nullius inservire commodo,
 præter ejus solum, qui id conficit, ex antea dictis patet. Non of-
 ficium, quod posuimus, ex Directorio etiam nonnihil utilitatis per-
 cipere iudicem: cum fiat hoc tantum secundariò, prout loquun-
 tur, ex consequentiâ & indirectò. Cui adminiculatur, quòd Directo-

rium non arguat justam omnibusq; numeris absolutam articulo-
rum formationem, adeo ut iudex in eorum soliditatem inquirere
minimè habeat necesse: cum potius, etiamsi Directorium extet,
delectum articuloꝝ instituire teneatur juxta *l. 21. C. de probat.*
licet faciliori viâ per Directorium de eorum admissibilitate co-
gnoscere queat. *Dn. Brunnem. in sapius laudato proc. Civ. c. 20. n. 38.*

XV. Hinc iterum liquet, iudicem Directorium à probatu-
ro omisum, neuiquam supplere & addere posse: nam præter su-
pra adductas rationes, inter omnes constat, quod ea, quæ facti sunt,
iudici supplere sit interdictum *l. un. C. ut quæ desunt Advocat. part.*
imo ea supplendo se reddat suspectum, ita ut recusari possit. *Sig.*
Scaccia de Jud. lib. 2. c. 7. n. 34. jam probationes sunt factorum: ac-
cessorium autem probationis Directorium est, prout supra osten-
sum: quapropter & hoc ipsum in factum incidit, ac consequenter
minùs rectè à iudice suppletur. Quid? Quod iudex ita statione
suâ relictâ advocati & patrocinantis vices subiisse videatur *l. quis-*
quis 6. pr. C. de postul. Accedit, quod hâc ratione damnum aliquod
& præjudicium crearetur parti: fieri enim posset, quod iudex con-
stitueret Titium super aliis atq; aliis articulis examinandum, super
quibus fortè rectius examinaretur Mævius, puta qui majori eorum
cognitione esset instructus: & ita non relevaretur probans: imo ni
vehementer fallar, sinistra opinione gravatus reus criminis Ambi-
tus ac pœnæ illi crimini impositæ obnoxius evasurus esset, *Arg. l.*
un. §. fin. D. d. L. jul. Amb.

Materia cir-
ca quam si-
ve Objectū.

XVI. Conficitur autem Directorium ut plurimum super
articulis per testes probandis: qui propterea nihil aliud sunt,
quàm pars intentionis à reo negata ab actore probanda per testes
instrumenta &c. *Ruland. d. p. 3. lib. 1. c. 2. n. 12. & seq. Obrecht. de*
concep. & form. lib. c. 17. n. 5. Ex quâ definitione differentiam arti-
culorum & positionum, quàm Rulandus Oldendorpium aliosq;
secutus *all. lib. 1. c. 1. n. 2.* negat, nullo negotio petere est: quippe
Positio est pars intentionis ad eruendam veritatem per adversarii
responsionem concepta. Quæ invicem etiam ordine differunt:
Positiones enim præcedunt; quicquid vero ad Positiones nega-
tum, de eo postea formatur articulus: sicut & ratione formæ ali-
quod discrimen suppeditatur; Positiones videlicet negativè etiam
formari

527
formari possunt *C. 1. de confess. in 6.* non autem articuli, nisi loco ac tempore coarctati, aut alias prægantes existant *Obrecht. d. C. 17. n. 6. & seqq. Dn. Brunnem. Proc. Civ. c. 17. n. 2. Carpzov. lib. 3. R. 73. n. 1. & seqq.* Proinde articuli introducti sunt ut testes clariùs deponant, exactiùsq; examinentur *Argum. C. present. 2. de test. in 6.* idcirco etiam ad eos tanquam ad lydium quendam lapidem cuncta sunt referenda: ita ut actus extra articulum gestus firmitate suâ destituatur. *Ruland. all. lib. 1. c. 1. n. 5.* ac testi extra articulum deponenti nulla planè fides adhibeatur *Arg. C. de testibus 29. extr. de test. Farinac. de oppos. cont. test. q. 71. per tot.* qui potius super articulis omissis denuo examinandus sit *Mynsinger Cent. 1. Obs. 32.*

XVII. Quomodo autem Articuli formandi sint, à processuum Scriptoribus passim docetur: quoniam illam difficillimam juxta ac utilissimam artem ante se ex professo tradidisse neminem, sibi persuaserit *Rul. cit. lib. 1. c. 3. n. 1.* attamen vereor, ne eodem jure fecerit hoc, quo Bodinus Majestatis indolis scrutinium, & *Francisc. Hotton. in lex. su. jurid. verb. credendi* differentia, inter τὸ credere & in creditum ire inventionem [id quod tamen ad ἀμαρτηματα μνημονια ex πολυμαθία summorum illorum virorum pronata, & senibus quam familiarissima, secundum *Ant. Muretum lib. 6. var. lect. c. 10.* referendum, illisq; ignoscendum] vindicavit.

XVII. Ex illis itaq; quantum nostræ tractationi necessarium erit transferendum. Quo vero dicenda maximè in compendium conferamus; pono rite confici articulos si substantialia eorum & accidentalia fuerint observata. Substantialibus constant, quando sunt pertinentes, prout nostri loqui consueverunt *c. licet 9. extr. de probat.* quales sunt, qui ex medullâ & visceribus libelli formantur, & ad propositam actionem, vel directò, vel per indirectum tendunt secundum *l. ad prob. 22. C. de probat. & text. in Clem. sæpè de V. S. & Ord. Cam. P. 3. l. 14.* Substantiam autem articulorum in pertinentia consistere exinde patet; quod cum judicis sententia nullâ debeat obscuritate vel incertitudine laborare, §. *curare 32. ibiq; Schneidov. n. 22. & seqq. I. de Act. l. 59. D. de Re jud. l. penult. & ultim. C. de sent. quæ sin. cert. quant.* certitudinem ille obtinere nequeat, si dissonantia aliqua inter libellum, cui confirmandam sententiam esse in ore omnium versatur probaturq; *per l. ut fundus 18.*



D. comm. Divid. Habnius ad Wesenb. π. tit. de Re jud. n. 7. Verb. conformis esse libello. Mynsinger ad dict. §. 37. I. de Act. n. 5. & seqq. & articulos, per quos libellus probandus venit, intercedat. Hinc si super inepto libello sententia fuerit lata. reddi eam statuunt nullam per l. final. C. de fideicom. libert & tradd. Godofredi ad Schneidery. d. l. n. 40. lit. a. vel si quæ potius ineptitudo actionis in libello expressè ex actis & probatis elucescat, quin reo absoluto, actori aptior actio reservanda sit, extra dubium ponitur propter textum in l. habebat 13. princ. ff. de Inst. Act. Brunnem. in proc. Civ. c. 27. n. 18. Quapropter ejusmodi articuli ex libello non deprompti nihil valent. Rulandus dict. lib. 1. c. 3. n. 7. nec à judice sunt admittendi Arg. l. 13. pr. ff. de Interrog. Act. c. cum olim 32. extr. de Off. & pot. Jud. deleg. Myns. C. 5. Obs. 88. n. 3. admissi autem quoque censentur esse, si super iis testes sint recepti Mascard. concl. 130. per tot. Quod si verò invitâ parte [pars enim ad articulorum admissionem semper citanda est, ceu probat Mascard. concl. 131. per tot.] à judice fuerint admissi; ab ejusmodi admissione pars adversa justè appellare potest. Mascard. Concl. dict. 130. n. 5. & Conseq. n. 1. ex quo etiam suâ sponte fluit, quod testium depositioni super articulis impertinentibus factæ nullus planè probationum valor sit accomodandus prout ex Menochio rectè notat Ruland. d. c. 3. n. 12.

XIX. Substantialia articulorum excipiuntur ab accidentalibus, inter quæ primatem locum obtinent Brevitas, Perspicuitas & Aptitudo. Uti enim aliàs artis est laudemque meretur. maximam rerum vim, quoad ejus fieri potest, in pauca conferre: ita plurimi faciendus articulus est, qui succinctè sed non minus solide unumquodque proponit, id est qui supervacuis non abundat, sed nec necessariis destituatur: cum illa fortasse cum tædio & legantur & audiantur; hæc non nisi magno cum partium dispendio prætereantur. Id quod assequimur si ab articulis plurium inter se diversissimorum capitum cumulationes exesse jubeamus. Ejusmodi enim bimembrem vel multiplicem articulum in proprium exhibentis detrimentum vergere, quis non animadvertit; ad alterum enim membrum, altero neglecto & prætermisso, non interdum responderi solet; quo facto totus sane articulus labefactatus corrui-
t. l. 13. §. Ultrum 3. ff. de Reb. cred. Quod eò verius esset, si descenderemus
remus

remus in eorum sententiam, qui si quando unum articuli multiplicitatis membrum falsum existat, totum negari posse asserunt, quæ tamen sententia quò contraria verior, eò Christiano est homine indignior, magisq; exterminanda, ut ita omne perjurii periculum evitetur & periculosa quorundam Advocatorum Verfütia prorsus excludatur, verba sunt *Myns. Cent. 2. Obs. 55. Videatur Obrecht. Tract. de concip. & form. Libell. c. 17. n. 17. & seqq.*

XX. Quantum verò & dignitatis & facultatis conferat articulis perspicuitas, nemo tam bardus est, qui non intelligat: opera proinde danda est sedulo, ne ab eâ nonnullorum præstigiis & captionibus depellamur. Tenebræ autem offunduntur Articulis per verborum varietatem, alternationem, generalitatem & fallacias. Varietas enim verborum quamvis ingens lumen & ornamentum afferat orationi; in articulis tamen non secus ac in docendo τὰ αὐτὰ, juxta monitum Socraticum, περὶ τῶν αὐτῶν proferre & eosdem, quantum fieri potest, servare modos loqvendi judicio utilissimum est: quippe auget πληροφορίαν seu certitudinem, sicut è contrario hujusmodi vagi articuli, ceu nominantur, inconstantiam arguunt, & propterea tanquam de mendacio suspecti reprobis jure merito ac rejiculi censentur. Eandem incertitudinem pariunt articuli alternativi: ex alternatione enim non aptè constat utrum probandum sit, & sic consequenter obscuritatem involvit *Arg. l. 75. §. 3. ff. de Verb. Oblig. l. 7. §. 4. ff. de Injur.* Quam ob causam libellus etiam alternativus non admittitur, nisi positus terminis habilibus. *Vid. Hahn. ad Wesenb. tit. de edendo. n. 4. Verb. aut alternativum. Myns. Cent. 2. Obs. 42. Obrecht. all. Tract. de concip. & form. c. 17. n. 11. & seqq. Carpz. lib. 2. Resp. 109.* Nec majori luce clarerent articuli generalibus verbis concepti: quæ enim potest res perspicua dici, quæ suâ involuta est incertitudine: incertum autem est quod ex se, vel circumstantiis suis non apparet, quid, quale, quantumve sit, *leg. 74. & 75. in princ. & §. seq. ff. de Verb. Obl. l. 6. ff. de Reb. Cred.*

XXI. Ut vero apti & idonei ad admittendum evadant articuli, necesse est ut affirmativè sint formati; cum hâc ratione positionibus, ceu antea dictum, contradistingvantur: item ne ea, quæ fieri nullo modo possint, contineant: nam ea nec affirmari debent nec possunt; si enim ad impossibile nemo obligatur *l. 185. & l. 89. §. 1. ff. de R. J. utiq;* nec ad illud ut respondeat, rectè cogitur.

XXII. Articulos impertinentes nullo modo admittendos esse antea evicimus; sed quid si clausula illa omnibus causarum Patronis & Tabellionibus quàm familiarissima, salvo jure impertinentium & non admittendorum, accedat? Tum inquirendum omni diligentia, ut constans plurimorum Doctorum sententia, est, in articulos: aut enim isti citra controversiam sunt impertinentes, eorumque vitium in oculos incurrit omnium, & nullam hujus clausulae habitam ratione indiscriminatum rejiciuntur: aut illud vitium latitat, nec nisi summam cum difficultate potest cognosci; & locum tunc laudata suum clausula invenit, hujusque beneficio articuli admittuntur. *Mascard. Vol. 1. Concl. 132. Carpz. in proc. Tit. 13. Art. 4. n. 23. & seqq. & quos citat. Joh. Georg. Nicolai in proc. p. 1. c. 50. n. 12.* Et licet clausula ista efficiat, ut si evidenter postea appareat non fuisse admittendos aliquos articulos, habeantur pro non admissis testiumque depositiones super illis receptae rejiciantur. *Mascard. dict. l. n. 5. & 6. Myns. Cent. 2. Obs. 56.* melius tamen & propriae conscientiae & partium utilitati consulit iudex, si delectum prius articulo- rum instituat, quàm ejusmodi clausulam temerè utatur, utpote cum ira & processus proteletur, & sumptus in litigantium detrimentum excrescant, prout post *Myns. & D. Carpz.* scitè monet *Dv. Brun- nem. all. c. 20. n. 39.* Hinc apparet quo talo nitatur effatum *Masc. cit. Concl. 132. n. 3.* quod, etiam si statutum articulos planè impertin- tes, admissione dignos pronunciaret, nihilominus non perperam admittuntur. Et hæc de articulis probatoriis pro subjectam Materiã dicta sufficiant. Præter illos alii adhuc extant articuli, inquisitorii videlicet, quorum usus est in processu criminali extraordinario sive inquisitorio: illi autem conficiuntur ab ipso iudice processum instituyente ad eruendam vel ex ipso reo vel ex testibus delicti ve- ritatem: super quibus articulis quod à reo interrogatoria formari possint, ac super iis testes examinari jure debeant, non adeo ab- sonum duco esse ab insigni utilitate hujus πράξις. In patriam meam frequentatè confirmatus.

Forma Dire-
ctorij.

XXIII. Rite igitur confectos articulos subsequitur eorun- dem & qualitatatum in probatione alicujus rei observandarum de- terminatio. Duobus enim potissimum absolvitur omne Directo- rium. Primò quod designet nobis probationis modum: inde enim

colligi-

colligimus quænam modum elegerit probaturus, num per testes sit demonstraturus, aut per documenta: an verò beneficio *avto-
vias* sit usus. Deinde quod conditiones & circumstantias electi alicujus probationis modi determinet, ut earum accurata in ipso actu aliquando habeatur ratio. Illud Directorio cum aliis instrumentis commune est; nam quæ ratione quis probaturus sit, aliunde constare potest, etiamsi nullum extet Directorium. Hoc autem Directorii proprium est, cum nusquam istud nisi in solo Directorio reperiat expressum: Sed potius, si nullo subjecto Directorio articuli editi & exhibiti fuerint, quin iudex super omnibus articulis denominatos testes ex mente probaturi examinare teneatur indubium videatur esse *Umm. Disp. 16. Thes. 11. n. 74.* Subjicitur Directorium statim articulis, vel in eadem vel in peculiari schedulâ, ita ut si probatio per testes expedienda, primò ponantur nomina testium, deinceps designentur articuli, super quot & quibus primus testis examinandus sit, & sic consequenter cum reliquis testibus: sin verò per documenta res probanda veniat, singuli articuli sese referant ad Catalogum documentorum literis vel numeris notatorum infra positum vel seorsim exhibitum. Formalia in judiciis nostris usitata hæc sunt:

Namen der Zeugen. N. N. N. N. N. N.

N. N. soll auff den 1. 2. und 3. und folgenden Artikel befraget werden/N. N. auff den 7. 8. 9. etc. allein.

Folgen nun die Documenta vel specificatio Documentorum.

Lit. A. vel n. 1. ist N. N. Obligation lit. B. vel n. 2. ist ein Extract eines Beslagten Litis Contestation &c.

Ita constructo Directorio, nihil refert sive illud patens vel apertum offeras, sive clausam, *Rulandus d. part. 3. lib. 1. c. 6. n. 5.* Utròq; enim casu recipere illud iudex tenetur, & si quando clausum offeratur, iudex procul dubio absentibus etiam assessoribus suis resignare valet; quamvis commissarium suum non nisi præsentem adjuncto idem aperire debere velit, *Ruland. d. l.*

XXIV. Circa compositum Directorium duo cum primis nunc in controversiam veniunt: primò an testi super certis quibusdam articulis examinando, reliqui articuli ad instantiam partis producentis prælegi possint & debeant? Quod asserendum putamus, tum quod parti adhuc, modò velit, integrum super omnibus

C

mnibus



mnibus articulis testem examinari curare; E. & eos; super quibus testis testimonium non requirit, introspiciendi & perlegendi copiam ipsi facere poterit, cui enim conceditur majus, eidem non recte denegabitur minus: tū quod nihil inde præjudicii creari videatur parti adversæ. Nec quicquam officit, quod hoc ipsum speciem quandam instructionis & subornationis præ se ferre censeatur: cum aliud sit instructio, aliud obscurioris articuli dilucidatio: ut enim testis in majorem eorum articulorum, super quibus examinandus est, notitiam pervenire queat, non perperam eidem perlegendi traduntur etiam ii, super quibus nihil enunciare tenetur; cum alioquin horum cognitione destitutus, de aliis, quidnam enunciaturus esset, hæere facile posset ambiguus. Qui enim obscurum vel falsum testimonium personæ deprecatur, articulorum obscuritatem tanquam antecedens per aliorum expositionem evitare necesse habet. Hinc etiam non infrequens est, ut in Directorio subjiciatur instrumentum aliquod hujus vel illius articuli dilucidationi inserviens, zu mehrer Erklärung gedachter Artickeln testiq; prælegatur. *Ruland. d. c. 6. n. 7.* Imò ob eandem causam sæpenumero etiam testes adhuc examinandos ad ocularem inspectionem, admitti volunt *vid. modo laud. Rul. p. 2. lib. 3. c. 11. per tot. Dn. Brunnem. proc. Civ. c. 22. n. 7.*

XXV, Deinde in Controversiam venit: num Directorii copia danda sit adversario? Negat *Ruland. d. c. 6. n. 10.* argumento ducto ab interrogatoriis ad Directorium hoc modo: ubicunq; non datur parti copia interrogatoriorum; non licet ei quoq; copiam Directorii communicare. Verum præterquam quod soliditas hujus propositionis non immeritò alicui suspecta videri possit, & potius invertenda veniat, cum ad Directorium nihil faciant interrogatoria, quippe quibus illud præcedat; ad interrogatoria autem aliquid afferat Directorium: etiam parum sibi constat *Rulandus*, imò proprio se jugulat gladio: nam *in p. 4. lib. 1. c. 11.* evertit eorum sententiam & tanquam iniquissimam non aspernandis rationibus confutat, qui interrogatoriorum copiam parti dandam esse inficiantur. Rectius proinde affirmativam tuemur cum sine eo, parum commodè & ritè interrogatoria ab adversario confici queant. *Dn. Brunnem. in proc. Civ. c. 20. n. 48. Rosbach. in proc. tit. 54. n. 15.*

Circumstantie. Cui Directorium offerendum.

XXVI. Quandoquidem causas internas hæctenus & essentiam Directorio

Directorii contemplati sumus, ordinis leges requirunt. ut etiam in personas, quibus, & in tempus, quo illud confectum Directorium offerendum sit, inquiramus. Parum enim est scire, quâ ratione Directorium componatur, si ignoremus, cui compositum offerri debeat. Ex præcedentibus autem procul dubio colligi potest, ei offerendum esse, cui rei alicujus probatio fieri debeat, id est judici. Verum judex cum vel ordinarius sit vel delegatus, quem vulgò Commissarium nominant, & coram hoc num omne probationis genus expediri possit, nondum expediti juris; non abs re quæritur an Commissario, si per testes res probanda veniat, unâ cum articulis Directorium rectè offeratur? Ratio dubitandi est, quod bene multi negent testium examinationem Commissario à judice, principali committi posse: id quod tamen asseverare nullus erubescit, legum Autoritate securus, non quidem simpliciter sed positis terminis habilibus: si videlicet testes sint absentes i. e. si vel alterius fori *l. 17. princ. D. de judic.* vel in alienâ provinciâ degant *§. 1. J. de Usuc.* vel alias longiùs à loco judicii absunt *l. 173. §. 1. & l. 199. D. de Verb. sign.* item si senio nimis confecti vel morbo graviter laborent vel quotiescunq; istud iusta causa suadeat propter *l. 3. §. fin. D. de test. l. judices 18. & Auth. seq. C. de fid. Instrum. C. cum causam 37. extr. de test. Myns. cent. 3. obs. 40.* Quodsi verò ab istis casibus discesserimus, contraria sententia potius & statuenda & proferenda est, tum quod alia sit autoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent, & judex non tam his quam illis credere debeat, secundum *l. 3. §. 3. & 4. D. de test.* tum quòd hoc ipsum iudicio & diligentia jus dicentis relinquatur *d. l. 3. §. 6. D. eod. Godofred. ad eand. §. 3. lit. L.* Id quod in causis criminalibus præcipuè negatur propter *Auth. apud eloq. C. de fid. Instrum.* partim quod in iis testium præsentia maximè videatur necessaria, partim ob periculum, quod ibi versatur maximum: nihilominus tamen urgente summâ & inevitabili necessitate, quin ab alio testium examen institui possit non est quod in dubium vocemus, prout generalitatem juris civilis quam optimè & prudentissimè restrinxit & determinavit Pontifex in *c. 8. extr. de test.* licet quodammodo vapulet à *Rittershus. de Diff. J. C. & C. lib. 5. c. 21.* & Pontificem secutus *Imp. Carol. V. in P. H. D. Art. 72.* ratione utilitatis habitâ, quæ in tota in Remp. dum ita nullatenus delicta evadunt impunita, redundat.

Quando of-
ferendum.

XXVII. Pari modo ingens Directorii nostri momentum in tempore est. Quid enim refert Directorium confecisse, nisi & justo tempore offeratur, quo tibi usui esse potest. Prout verò probationes ratione partim modorum, partim objectorum variant; ita quoque oblatio Directorii tempore variat. Hinc prout omnis probatio regulariter post litis contestationem fieri debet. *t. t. extr. ut lite non contest. non proced. Wesenb. π. D. T. de prob. n. 9.* ita Directorium quoque post litem contestatam offerendum est. Ne verò circa tempus oblationis ejus planè incerti vagemur; viâ distinguente Juris Cultoribus aliàs solenni incedere visum est: aut enim tempus aliquod à jure certum constitutum est, intra quod omnis probatio expedienda: aut nullum extat. Si terminus quidam probatorius nobis præscriptus est: intra illum quoque offerri Directorium debet: sic jure Saxonico terminus probatorius absolvitur 6. septimanis & tribus diebus: in Marchionatu Brandenburgico 6. tantum septimanæ assignantur teste *D. Brunnem. d. tract. c. 18. n. 14.* De jure communi verò talis terminus non habetur, sed planè arbitrarius est per tradita à *J. G. Nic. proc. Jud. part. 1. c. 48. n. 1.* Etsi verò *l. 1. C. de Dilat.* autoritas in contrariam sententiam nos flectere videtur; nihilominus tamen declinare eam possemus, si diceremus eam loqui non de termino probatorio: sed potius de dilatione ad probandam intentionem suam ab actore petita & actori à judice concessa. Quæ duo quin à se invicem discrepent, nihil ambigendum duco: nam terminus probatorius currit communiter à momento latae sententiæ, quæ alicui probationis injunctum onus fuit: quando autem aliquis diffidit se probationem intra tempus vel à jure vel à judice determinatum expediturum esse, tum demum officium judicis, ut aliquam ipsi specialem dilationem vel termini prorogationem impertiat, implorat. Deinde terminus probatorius à jure præfigitur: dilationes autem à judice, quamvis ex præscripto juris, conceduntur. Præterea distinguendum censeo cum *Dn. Struv. Exerc. 5. Th. 37.* inter terminum à jure parti præscriptum, ita ut necessario probatio intra eum sit expedienda; & præscriptum judici: illum de jure communi negamus extare, cum hujus tantum vestigia in *cir. l. 1. C. de dilat.* reperiantur. Idcirco eum arbitrarium inibi diximus esse, non quasi penitus judicis arbitrio relictus sit; sed quatenus eum à legibus quidem determinatum ex justâ ratione prorogare valet. Tandem
secun-

secundum jus Saxonicum ejusmodi termino probatorio omnis generis probatio excluditur; quod nemo secundum jus commune affirmaverit, nisi qui *ex c. cum dilectus 9. extr. de fid. Instrum.* post publicatas attestaciones etiam usq; ad conclusionem in causâ instrumenta exhiberi posse ignoret.

XXVIII. In ejusmodi termino autem tempus est continuum; deq; momento in momentum currit *l. 3. C. de dilat. l. 26. §. 7. ff. ex quibus causis majores.* Sed quid si clausula illa, exclusis feriis, fuerit adjecta, quam in Camera frequentari autor *Rulandus est part. 1. de Commiss. lib. 2. c. 7. n. 9?* Resp. eam. de magnis tantum feriis, quæ memorantur *in l. omnes 9. C. de feriis* exaudiendam esse volunt *Rul. d. c. 7. n. 11.* Incipit autem currere terminus ille de jure communi à tempore sententiæ teste *Dn. Brunnem. all. c. 18. n. 14.* in quo secessionem facit ceu in aliis jus Saxonicum, puta, quod initium cursus collocat in decendio, quo sententia, per quam probatio alicui fuit injuncta, vires rei judicatæ est consecuta *B. Carp. proc. tit. 13. Art. 1. n. 16. & seqq.* Id quod tempus tamen non adeo continuo currit, ut nullo modo suspendi possit; sed sæpè numero accidit, ut etiam currere nequeat: videlicet quotiescunq; aliquid per culpam vel judicis vel adversarii creatur præjudicium; ut si iudex controversiam moverit super articulis vel pars super jure probationum vel alio quocunq; modo *Rul. d. c. 7. n. 14. & seqq. Myns. Cent. 2. Obs. 99.*

XXIX. Post elapsum terminum nullum amplius Directoriū admittitur, siquidem tunc probaturus totâ causâ cecidit, nec ulterior ipsi probatio conceditur. *Carpz. p. 1. C. 16. D. 1.* in tantum, ut iudex neq; ex officio, neq; ad eius instantiam novum ipsi probationis terminum impertire queat; imò prorogatio post terminum impetrata ad partis adversæ contradictionem, tanquam sub & obreptitiæ impetrata rejici debeat *Nicol. in proc. p. 1. c. 48. n. 11.* ac testes examinati nihil omninò probent *Ruland. cit. c. 7. n. 24.* Hic enim termini alicujus præscripti effectus est, quod omnem moræ purgationem excludat *l. Celsus 23. princ. ff. de recept. arb. l. 23. ff. de O. & A.* & adversario jus acquirat, quod ipsi nullâ ratione à nemine sive à parte sive à iudice auferri potest, nisi à solo Principe, utpote; qui termino ejusmodi præterlapso & extincto spiritum vitæ, ut Doctores loquuntur, restituere alteriq; jus inde quæsitum vi absolutæ suæ potestatis auferre valet. Positam thesin nostram ampliamus, ut



Directorium ante terminum oblatum, post terminum ne quidem ampliare, restringere, corrigere vel mutare liceat. Dico, ampliare non licet, præter eos enim quos in Directorio determinavit, articulos atq; testes, alios adjicere non debet; etiamsi intra terminum de aliis articulis adjiciendis producendisq; testibus fuisset protestatus *B. Dn. Carpz. d. l. 13. Art. 1. n. 119. & seq.* Sed quid si testes post terminum denuo reperiantur, qui intra terminum ignorabantur? *Mynf. cent. 4. Obs. 60. n. 10. & seq.* eos indistinctè produci posse putat: at distinguendum censeo inter processum civilem & criminalem: in illo causa agitata aut tangit privatum, partis interesse tantum, & tum post lapsum terminum & attestaciones publicatas à parte super iisdem vel novis articulis novi testes produci nequeunt: aut publicum interesse simul tangit; ac judicem ex officio novos testes examinare potest: in hoc verò processu sive sit ordinarius, sive inquisitorius, judicem, quotiescunq; illud salus publica suadere videatur, super iisdem vel novis articulis alios atq; alios testes rectè producere satis liquet *ex l. 18. §. 1. ff. de q. vest. Dan. Moll. p. 1. Const. 16. n. 31. Dn. Brunnem. de proc. inquisit. c. 8. memb. 2. n. 84. & seqq.* Sed nec minùs illud restringere convenit, utpote, cum articulos atq; testes, qui semel obtulit postea per pœnitentiam revocare non licet. *Dn. Carp. lib. 3. Resp. 86. & dict. Tit. 13. Art. 1. n. 132. & seqq.* multò ergo minùs ipsi illud corrigere atq; mutare integrum erit.

XXX. Talis autem terminus probatorius quamvis peremptorius sit; adeò, ut eo elapso, ulterior probatio non admittatur in omnibus causis, sive civiles sint sive criminales, sive ordinariæ sive summariæ per trad. à *Nicol. proc. jud. p. 1. c. 48. n. 8. & seq.* nihilominus tamen ex justâ causâ ejus adhuc pendentis prorogatio peti potest. *B. Carpz. all. C. 16. D. 15. & R. 71. n. 3.* quemadmodum etiam ubi talis terminus non habetur, tres imò quatuor dilationes impetrari solent, modò prægnantissimæ suppetant rationes. Dico impetrari: cum dilationes probatoriæ utpote litem protelantes eoq; nomine gravissimo in omni jure odio laborantes *l. properandum. C. de jud. Cap. Pastor ad. 4. extr. de except. à judice cõcedi nõ debeant, nisi à parte fuerint petitæ d. l. 1. C. de dilat. c. 62. extr. de appell. Umm. in proc. Disp. 7. Th. 16.* Deinde notanter mentionem injicio prægnantissimarum causarum, siquidem eas exigit *d. l. 1.* in primis in quarta dilatione, quæ præter causarum cognitionem aliâ adhuc solemnitate est instructa, videlicet exactione juramenti ab eo, qui eam impetrare avet juxtâ
practi-

practicam *Auth. atqvi semel C. de probat. c. pen. extr. de test.* quæ solen-
nitas in Camerâ per *Recess. Imp. de Ao. 1654. S. Den Punctum Probatio-*
nis betreffend. hodie in tertiâ dilatione requiritur: quam tamen non
adeo necessariam esse, ut minimè partium consensu omitti queat,
ex sententiâ *Gailij 1. Obs. 91.* pleriq; statuunt recentiorum.

XXXI. Si verò nullus certus à legibus probatorius præfixus
sit terminus, Directorium locum inveniet, quotiescunq; probatio-
nibus via aperitur. Sic si per Documenta causam probare moliaris,
Directorium usq; ad conclusionem in causâ afferre potes; siqvi-
dem usq; eò, ut antea dictum, documenta, quibus Directorium
adjungendum, exhibere fas est per *all. c. 9. extr. de fid. Instrum. Menoch.*
de A. I. Q. lib. 1. q. 23. verum num hoc pariter obtineat, si à jure, uti hic
locorum, terminus certus præscriptus sit? Negat *Dan. Moll. all. Const.*
16. n. 17. quod hodie quidem in nostris terris Saxonis con-
cedendum est: verum alibi contrarium fortasse verius erit, tum
quod conclusio causæ sit terminus exclusivus omnium probationū
à jure communi introductus: tum quod timor subornationis in
instrumentis cesset *Myns. cen. 6. obs. 36.* Pari modo ante litem contesta-
tionem etiam Directorium ut offeratur, nec infreqvens est nec
absurdum, cum probationes ante iudicii initium frequententur.
Ita enim exceptiones dilatoriæ ante inchoatum iudicium proban-
dæ sunt. *l. pen. C. de except. l. 13. C. de Proc. Zas. Comm. ff. de except.*
n. 13. Ita quoq; ad receptionem probationis ad perpetuam rei me-
moriâ iudex ante litem contestatam se accingere debet *C. quon-*
iam 5. exer. ut lit. non contest. non proc. c. significat vit. extr. de test. cum
alioquin interitura facile probandi esset facultas, cuius tamen fa-
vor maximus existit; quod probationis genus tam actori in certis
casibus, quam reo competit *Myns. 4. obs. 72.* si civiliter agatur, non
verò si criminaliter; nec refert, utrum tantum criminaliter agatur,
an verò per modum cumulationis etiam civiliter; cum ea in crimi-
nali iudicio simpliciter & indistinctè excludatur *d. c. quoniam princ.*
extr. ut lit. non contest. Confer. Dn. Hahn. ad Wesenb. t. de test. n. 5. verb. nisi
cum ad æternam. Interdum etiam post conclusionem in causâ
Directorium admittendum, ut si ratione ocularis inspectionis ex-
hibeatur, puta cui non tantum post conclusionem in causâ; verum
etiam post sententiam latam, imò in actu executivo post rem ju-
dicatam locus existit. *Rul. p. 2. lib. 3. c. 3. n. 6. usq; ad fin. C. p. 4. lib. 8. c. 11.*
n. 5.

n. 5. positis nempe terminis habilibus *Dn. Brunne. proc. Ci. d. c. 22. n. 2.*
neq; id sine ratione: quippe ocularis inspectio & optima probatio-
hum, & prima omnium species est, eoq; nomine ceteras omnes
facile superat, per tradita ejusdem *Rul. d. l. 3. c. 1. n. 4. & seqq.*

Finis & Ef-
fectus Di-
rectorij.

XXXII. Exhibitum nunc Directorium judicem de qualitati-
bus circa probationem expediendam certiozem reddit: quod
proinde non susq; deq; habere, sed potius quam accuratissime ob-
servare ipsi convenit, sicut ex superioribus constat. Quidsi verò
Judex istud rejiciat? Quin contra judicem pars gravata beneficio
appellationis uti possit, non est, quod dubitem.

Contraria.

XXXIII. Quandoquidem verò Directorium in gratiam par-
tis probantis introductum est, sequitur, quod si pars deprehendat,
nullum ipsi illud emolumentum præstiturum esse, omittere istud
in ejus arbitrio sit positum: imò confectum etiam tollere, modò
fiat re adhuc integrâ, & modò etiam spontè fiat: nam à judice,
quo minus id conficiat, prohiberi nequit. Hinc etiam non mirum,
quod ei renunciare possit: nam præter quam quòd unusquisq; fa-
vori pro se introducto rectè renunciat; etiam pacta sicut altera-
re facultatem probandi; ita quoq; qualitatem circa probationes
possunt *Pacianus de prob. lib. 1. c. 5. n. 15. & seqq.* Sed antequam Co-
lophonem imponam, unum adhuc discutiendum restat, videlicet
num aliquis ad contradictionem partis adversæ Directorium
confectum tollere teneatur? Negat quidem *Rul. sapius all. c. 6. n. 4.*
sed additâ limitatione, nisi adversarius sumptus in testes exam-
mandos erogare velit. Verùm ea limitatio infirmo subsistere tu-
bicine & vacillare propè videtur, quippe cum non propterea ali-
quis [ut alia taceam] habeat potestatem Directorium conficiendi,
quod ipsius sumptibus testes examinentur; sed ob favorem pro-
bationum, quas per beneficium Directorii non restringi sed am-
pliari debere legibus non refragatur. Sed quâ ratione fortean ad-
versario consulendum? Resp. Ut adversarii non interest, quomo-
docunq; probet alter, cum ipso jure sibi reprobatio reservata: ita
etiam in nostro casu ut testes producendi ad unum atq; alterum
articulum, super quo producens noluit ipsos examinari, exami-
nentur, petere potest: quæ petitio instar reproductionis existit, et
jusq; beneficio, salvis tamen producenti ad hos articulos interro-
gatoriis *Dn. Brunnem. d. c. 20. n. 38.* ab omni periculo e-
vadit immunis.

T A N T U M.

Leipzig, Diss; 1666-67

ULB Halle 3
004 792 742




f


Sb.

Einband beschädigt

V317







B.I.G.

Farbkarte #13

13

Q. D. B. V. *Madeley, 7*
DISPUTATIO JURIDICA

515
8/

DE
DIRECTORIO ARTICULIS
PROBATORIIS ANNEXO,

Quam
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE
In Hac Florentissima Philyrea
Benevolè concedente,

P. 506

PRAESIDE
NOBILISS. AMPLISS. ET EXCELLENTISS.
VIRO

DN. AMADEO CRASSEN

Ph. & J. U. D. ac Prof. Publ. celeberrimo, ut & Laudatissimæ Facul-
tatis Juridicæ Assessore gravissimo, Dn. Fautore & Præ-
ceptore suo reverenter colendo.

Publicæ placidæq; Eruditorum censura ac ventilationi
exponit

SIMON CHRISTOPH. URSINUS,
Marchicus.

Die 6. Decembr. A. O. R. M DC LXVI.
Horis Locoq; Consuetis.

+++++

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGII.

21.



7

